

177

175

181

171

186

166

226

126

276

076

Ende

Anfang

162

sicut pueri inquieti plorantes ad cantum matrum obdormiunt,  
qui in silentio flerent, et magis quiescunt ex eo, quod cantu  
sentient matrum praesentiam, quam propter suavitatem cantus.  
Ita et peregrini magis quieti sunt ex eo, quod cantu prosperum  
et directum navis cursum intelligunt, quam propter ipsum  
cantum; non enim aliter vociferantur, nisi sicut vigiles civi-  
tatis ulmensis, qui nocturnas horas pronunciant, quae pro-  
nunciatio neminem a dormitione impedit sed multos inquietos  
dormire facit. Porro in tempestatibus, quando sunt venti  
validi et prosperi, tunc importune et cum inquieta agitatione  
currit navis velocissimo cursu in tantum, quod sagitta de  
balista aut arcu emissa non potest aequari cursui navis. Hoc  
galèoti saepe ad oculum demonstrant, ponentes se ad puppim  
cum arcu et contra proram jacientes: sagitta retro manet et  
navis antecurrit. Tanto enim impetu ventus trahit velis navem,  
quod aqua maris videtur contra proram currere, et prorae  
rostrum videtur in contraconantem amnem impetuosisima  
sulcatione conari, ita quod aqua nonnunquam supra cornua  
prorae elevatur; ita fortiter enim aqua contra puppim currit,  
quod etiam saepe usque in domini patroni tabernaculum insilit,  
et cum hoc ventus vela implet, et ita fortiter trahit, quod  
videtur aqua contra galèam currere, et tamen notum est, quod  
ventus prosper est in puppi, et vadit nobiscum, imo nos  
trahit secum, et ipsum mare nobiscum currit. Adeo tamen  
fortiter, ut dixi, ventus navem impellit, quod aqua videtur  
contra proram currere, quae tamen in veritate contra puppim  
currit tanta celeritate, quod vix visus potest ipsum mare  
comitari. Imo mihi videbatur, quod sagitta emissa non posset  
cursui maris contra galèam advenire, cum tamen galèa in  
decuplo fortius currat, quam ipsum mare. Paene incredibili  
celeritate in tali maris et aëris dispositione naves currunt.  
Credo enim quod in tempestate prosperae navigationis in una  
die et nocte tantam viam faciat, quantum est inter Coloniam  
et Venetas iter (B). Nam dum navis lento transitu progre-  
ditur et quasi pro nihilo transitus reputatur, non est equus  
adeo velox, qui posset tantum currere, quantum potest navis  
lente transire, et quando paene nihil transit, nullus cursor  
posset cum ea coaequare cursum, dum solum serpit. Verum

